



# POLYANTHÆ NOVÆ LIBER VII.

## G Garrulitas.

### DEFINITIO ET ETYMOLOG.



**G**ARRULITAS, ἀδολοχία. Hebr. *hemiah*, & *hamith*, id est, Strepitus, sonitus, vox clamor, à verbo *hamah*, tumultuosè, tumultum concitavit, insonuit, fremuit, ut quum in magna multitudine & copia confusæ voces ingentem atq; in conditum sonum edunt. Quæ significationes garrulo sine mente voces effluentem garrulitatq; maxime conveniunt. Solent enim garruli aures patulas obtundere, ita ut obsecurdescant, tanquam ad Nili catadupa, qui istos auscultant. Hebræis etiam *Homullah* dicitur strepitus loquelæ copiosæ, sonitus sermonis magni seu prolixo, Hinc *εμιλια*, loquor in magna copia hominum, concionor, *εμιλια* sermo, homilia, *εμιλος* cœctis. Garruli equidem merito oratorum, & Ecclesiastarum simili dicendi sunt. Quod enim prudentes & pii de rebus seriis sacrisque graviter pronunciant, isti circa nugæ versantes ridiculè effutunt.

Garrulos Græci ἀδολοχους, quasi avidos confabulandi, παρὰ τὸ ἀδολοχὸν τῆς λέξεως nuncuparunt. Veteres Latini fatuos dixere: est enim fatuus à fando, & inepta loquentem notat. Adδολοχὸς Græcorū fabulatorem etiam & nugatorem Latini vocant, ἀδολοχίαν nugat.

Garrulitatem, & garrulum his doloribus graphicè depingit Theophrastus in *notationibus morū*. Garrulitas est longorum, & inconsideratorum sermonum effusio. Garrulus autem eiusmodi est, qui apud ignotum iuxta ei assidens, uxoris & suæ laudes prædicare instituat deinde: quod præcedenti nocte somniauerit, id narret: tum quæcunque in cœna sibi fuerint apposita, omnia sigillatim recenscat. Mox verò ubi incaluerit, homines huius sæculi dicit esse antiquis deteriores: frumenta in foro vili vasisse pretio: peregrinos esse in urbe quâ plurimos: mare statim à Dionysio patere nauibus: & si Iupiter pluerit, eorum quæ terra conduntur meliorè fore proventum: seque agrum suum insequentem annum esse culturum: ait etiam viuendi rationes esse perdifficiles: & quum mysteria agitantur, Dannipum facem omnium maximam statuisse. Quærit etiam, quot sint Odei columnæ? & Quotus hic est mensis dies? Quod si quis patientem se præbeat, nunquam ille ab ea discedet. Narrabit mysteria mensis Boedromione, Apataria Pyanepsione, Possideone vero quæ agitantur tui Dionisia solita celebrari. Id genus dimissis manibus grandique gradu fugiat oportet, quisquis febre carere volet. Difficile est enim cum iis durare, qui neque otii neque negotii tempora distinguere norunt.

Horatius Saryrarum lib. 1. Sat. 9. Cuius initium, *Ibam fortè via sacra*, & Plutarchus libello pulcherrimo de Garrulitate, hominis garruli characteres luculenter proposuerunt. Vid. *famisgeratio*, & *loquacitas*.

### SENTENTIAE SACRAE.

- Mulier meretrix, garrula & vaga describitur, *Prov. 7. 10.*
- In multiloquio non deerit peccatum, *cap. 10. v. 19.*
- Homo verbosus separat principes, *c. 16. v. 28.*
- Ethnici putant quod in multiloquio suo exaudientur, *Matt. 6. 7.*
- Diotrephes perstringitur ob malignam garrulitatem, *Ioan. epist. 3. vers. 10.*

### PLUTARCHI DICTA QUÆDAM EX LIBRO περὶ ἀδολοχίας, adversus garrulos.

Motum curatu admodum difficilem atq; molestum in curam recipit philosophia, garrulitatem.

Hoc primum habet malum garrulitas, quod non audiat. Garruli naturam reprehendunt, quod unam quidem linguam, duas autem aures habeant.

Alii quidem sermones continent, garruli verò pleni sunt rimarum & perfluunt: deinde, tanquam vasa, mente cassi, sono pleni, obambulant.

In eo sunt infelices, quod neq; audiunt neq; audiuntur. Sermonis proprius finis hic est, ut fidem faciant audientibus: namo autem fidem habet loquacibus, etiam si vera loquantur.

Quod in corde sobrii est, id in lingua est ebrii. Temulentus nugatur inter pocula: garrulus autem ubique, in foro, in theatro, in deambulatione, inter diu, noctuq;.

Incundius cum pravis, dextri tamen ingenii, habere colloquium, quàm cum bonis, si sint garruli.

Animæ cæteri morbi partim sunt periculosi, partim odiosi, partim ridiculi: garrulitati autem hæc omnia accidunt.

Dicendi magistros habemus homines, tacendi autem Deos, silentium in initiationibus mysteriisque quasi per manus accipientes.

Ægyptiorum rex quum Pittaco victimam misisset, iussissetque optimam ac pessimam carnem eximere, linguam exemptam remisit: quasi bonorum quidem, non minus tamen, & maximum malorum instrumentum esse.

Qui ingenuam regiamque consequuti sunt eruditionem, primum silere, deinde loqui didicerunt.

Loquutum esse, sæpe me poenituit, inquit Simonides, tacuisse nunquam.

Silentium non solum sitim non conciliat, ut ait Hippocrates: verum neque tristitiam, nec dolorem.

*Exempla & Similia elegantissima de garrulitate, idem liber continet.*

### EX STOBÆI Sermonc. 36.

Dicendi modus non penes loquentem est, sed penes audientem. In garrulo verborum flumen, mentis gutta.

Avaritia quædam est, omnia belle dicere, & nihil audire. Isocrates cuidam locutuleio quærenti, cur duplicem mercedem ab eo oratoriarum artis studio postulareret, respondit, alteram peto ut loqui, alteram vero ut tacere discas.

Loquacitas, multos errores habet, tacere autem tutum est. Optimi hominum in dicendo brevissimi sunt. Garruli vero si tantum in loquendo molestiæ caperent, quanta reliquos afficiunt, haud sanè longos sermones traherent.

Homines magnum possident vallum dentium ad coercendos loquaces sermones.

### EX ANTONIO ET MAXIMO,

Serm. 15.

De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines rationem reddent in die iudicii, *Christus, Matt. 12. 36.*

Sit omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum, *Iacob. 1. 19.*

Noli linguam omnia audere, nec quid tibi accidat incommodi: quemadmodum oculus totum volens intueri solem, id etiam quod habet lumen perdit, *Basil. Mag.*

Labendi causa est lingua, quæ non ratione gubernatur, *Nazæanzensis.*

Pecuniarum damnum refarcire licet: semel autem emissum verbum reuocare non licet, *Chrysostomus.*

Hirundines tecto ne excipe, hoc est, homines garrulos & linguæ incontinentis, contubernas tibi ne asilicito, *Cyrillus.*

Si imperas ventri, impera & linguæ: ut ne huius sis seruus, ab illo autem stultè liber, *Nilus.*

### POETICAE SENTENTIAE.

Theognidis.

Πολλοὶς ἀν' ἑρώτων γλώσσην θύρα ἐκπέσειεν

ἀεποδὶν ἡμῶν σφιν πολλὰ ἀλάλητα πέλμα.

324

Handwritten marginal notes in a smaller script, likely from a different edition or commentary, partially visible on the right edge of the page.